



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Leonardelli, Bonaventura

Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739

Casus LXXIII. De sponsaliorum dissolutione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41144

CASUS LXXIII.

De sponsalium dissolutione.

Faufstina Virgo valdè opulenta contrahit sponsalia de futuro cum Fausto; Post aliquot menses inaudit Faustus maximam pecuniæ summam fuisse Faustinae furto sublatam, sicque ex valdè divite pauperem effectam esse: Quare sponsalia dissolvit cum Faustina, & alia init cum Barbara, quam cum postea ab alio corruptam fuisse intelligeret, ab his quoque sponsalibus resilit, non obstante, quòd & ipse fornicationem cum alia commiserit.

QUÆR. I. An Faustus ob paupertatem Faustina supervenientem à sponsalibus licite resilire potuerit?

QUÆR. II. An sponsus sponsalibus renuntiare possit ob insperatas divitias sibi post illa contracta supervenientes?

QUÆR. III. An utrique sponso, vel cuinam à sponsalibus resilire liceat, quando post ea contracta uterque fornicationem commisit?

414 **A**D 1. Q. satis convenit inter DD. posse sponsum à sponsalibus resilire, si dos fuit eidem promissa; quia tunc promissio dotis est conditio, sub qua sponsalia celebrantur; qua proin conditione deficiente, etiam citra culpam sponsæ, hoc ipso cessat obligatio sponsalium.

Sed dubium, ac controversum est inter DD. casu, quo nulla do-

tis promissio præcessit: Ubi non non paucum Covar. 4. decr. 1. p. c. 5. n. 5. Barbof. in Rub. ff. solutio matrim. p. 4. n. 3. Palud. 4. d. 27. q. 1. a. 2. Lud. Lop. Manuel, aliisque apud Sanch. l. 2. de sponsal. D. 59. n. 3. censent, sponsalia non dissolvi per paupertatem sponsæ supervenientem; quia dote non promissâ non est cæsenda sponsa omnia sua bona in dotem offerre, nisi id exprimat: ergo promittens sponsalia,

LII 2

falia,

falia, sive matrimonium sponsæ diviti obligatur stare suis promissis, ac si sponsa nulla bona haberet; si enim sponsus sub conditione bonorum, quæ de præsentis sponsa habet, intelligi voluisset obligationem sponsalium, debuisset id exprimere, & in pactum deducere, atque adeo sibi imputare debet, quod nullum de dote pactum inierit.

415 Nihilominus sponsalia eo in casu dissolvi, idque probabilis ac verius, docent alii cum Abb. in *cap. quemadmodum de jurejur. n. 10. Navarr. c. 22. n. 27. Sylvest. V. sponsalia, q. 10. cas. 9. Henriq. l. 11. c. 14. n. 6. Sanch. l. 1. D. 59. n. 4. Coninch. D. 23. dub. 8. n. 69. Palao D. 1. p. 28. n. 3. Laym. l. 5. tit. 10. l. 1. p. c. 2. aliique. Prob. 1. argumento opposito contrariæ sententiæ fundamento, quia sponsa dives censetur tacite omnia bona sua in dotem promittere, ut cum aliis tradit Bart. l. si constante, n. 78. ff. soluto matrim. Ergo si habitas facultates amittat, cum tacite promissam dotem solvere nequeat, deficiente conditione, cessabit sponsalium obligatio. Verum cum utraque pars argumentum hoc sibi vendicet, esto id verum non sit; Prob. tamen 2. ex eo, quia negari non potest, eam esse notabilissimam, & gravem mutationem, quæ si à principio existeret, sponsalia contrahi impediret, & quemlibet prudentem à matrimonio*

contrahendo averteret: ergo etiam superveniens dissolvit sponsalia; rebus enim notabiliter mutatis promissio non obligat juxta C. quemadmodum de jurejur. Et ratio ulterior est, quia in matrimonio contrahendo vel maxime attenditur patrimonium contrahentis, an amplum sit, an exiguum, ut onera matrimonii sustentari possint, & in hujusmodi casibus per sepe magis arident divitiæ, quam sponsa, quæ præcipuum vel unicum non raro sunt motivum cum tali sponsa contrahendi; Quare promissio illa matrimonii contrahendi subintelligitur sub illo divitiarum statu; unde si illo excidat sponsa, cessabit obligatio, & Faustus à sponsalibus resiliere poterit.

Ad 2. Q. An, si post sponsalia, 416 uno sponso in eodem statu manente, alteri superveniant desperatæ divitiæ, possit iste ea de causa à sponsalibus resiliere? Respondent non nulli cum P. Schmier p. 1. de sponsal. c. 5. n. 149. affirmativè, eo quod in tali casu sponsalium executio illi fiat notabiliter durior, ita ut merito præsumi possit, sponsum à principio non fuisse in sponsalia consensurum, si se ita divitem videret, aut tot divitiis augendum.

Verum contrarium probabilis tenent alii, obligantes sponsum divitiis auctum ad standum suis promissis. Ita Sanch. l. c. n. 6. Co-

Coninck. l. c. n. 5. Gutier. c. 33. de matrim. König. hic n. 78. Pirh. n. 64. Schmalzgr. n. 192. & alii. Rationem dant; quia sponsa, seu pars, cum qua contraxit, per divitias sponsi non est deterior facta: ergo non debet suo jure privari per divitias alteri parti supervenientes, quæ non præstant sufficiens resiliendi fundamentum; non enim per hoc potest dici deceptus sponsus in sponsæ conditione, cum ex hujus parte nihil immutetur, nec per errorem in eam consensisse, nam si quis error est, circa propriam sponsi conditionem est, circa, quam consensus non fertur; non verò circa conditionem sponsæ. Nec obstat, quòd executio sponsalium illi durior fiat, quia non fit durior per se, sed ex eo, quòd impediatur ab aliis nuptiis ditionibus contrahendis, quòd ad resiliendum à jam contractis sponsalibus non sufficit, aliàs quoties offerentur sponsalia ditiora, minùs ditia possent solvi, ut notat Palao l. c. quòd utique dicendum non est. Unde patet responsio ad argumentum sententiæ oppositæ.

417 Ad 3. Q. An utròque sponso fornicante liceat utrique, vel cuienam à sponsalibus resiliere? Respondet Baludan. 4. d. 27. p. 1. a. 3. n. 17. neutri licere in eo casu à sponsalibus resiliere; quia si uterque post sponsalia fornicetur compensatur delictum delictò, eò quòd in causa matrimonii uterque sit æqualis, &

mutua fornicatio compensetur, & quamvis fornicatio fœminæ gravior sit, ac fœdior, non tamen permittitur divortium viro fornicanti, sed si uterque committat adulterium, neuter agere potest ad divortium. C. intelleximus, 6. Adulter: ergo etiam neuter sponsorum resiliere à sponsalibus poterit, casu, quo uterque fornicationem commisit.

Alii cum Sanch. D. 55. num. 9. Henriq. l. 11. de matrim. c. 14. n. 6. Coninck. D. 23. dub. 7. concl. 6. Gutier. c. 31. n. 4. Laym. l. 5. tit. 10. p. 1. c. 2. n. 12. & aliis docent in eo casu non compensari delicta, sed solum sponsum posse repudiare sponsam fornicariam, & à sponsalibus resiliere; quia ubi delicta sunt imparia, non admittitur compensatio: in posito autem casu delicta sunt imparia, quia longè fœdior est fornicatio sponsæ, quàm sponsi, longèque vilior, & sponso detestabilior, argum. leg. etsi crimine, Cod. ad leg. Jul. de adulter. leg. palam ff. de ritu nuptiar. Ergo non admittitur compensatio; siquidem iniquè fieret compensatio, ubi detrimentum ex altera parte est longè gravius, uti est detrimentum viri ob fornicationem sponsæ, utpote quæ multò turpior est in fœmina, ut dictum est, & pluribus probat Tiraquel. l. 1. connub. n. 45. ob quam causam patri concubinario, seu luxuriosè viventi permittitur filiam luxuriosè viventem ex-

hæredare, non tamen id matriluxuriosè viventi concessum est, C. *Raynutius*, pr. n. 15. de *testam.* & notat *Molina tr. 2. de J. & J. D.* 176. Unde

Ad argumentum primæ sententiæ respondent, illud non benè deduci à matrimonio ad sponsalia; quia obligatio matrimonii quoad thorum, & cohabitationem longè difficiliùs solvitur, quàm obligatio sponsalium; hæc enim ob quamlibet notabilem mutationem, aliisque modis dissolvi possunt; matrimonium verò ex causis tantùm gravissimis.

418 Sententia hæc secunda licèt valdè probabilis sit, magis tamen aridet, & in praxi tenenda videtur tertia sententia *Palai tr. 28. D. 1. p. 25. n. 10.* docentis, hoc casu non solum sponsum fornicantem resiliire posse ob sponsæ fornicationem, sed ipsam quoque sponsam ob fornicationem sponsi posse sponsalibus renuntiare, quem sequuntur *P. Wiestn. hic n. 106. & P. Schmalzgr. n. 167.* Ratio est 1. quia esto fornicatio sponsæ scædior sit, & sponso detestabilior, sponsus tamen sua fornicatione fidem datam violat, præstatque sponsæ sufficientem causam diffidendi de observatione fidei conjugalis in posterum servandæ, quæ causa potissima est, quòd sponsis liceat à sponsalibus resiliire casu, quo unus tantùm fornicatur. 2. Quia ponamus sponsum

priùs fornicatum esse; posita hac fornicatione sponsa potest statim velle à sponsalibus resiliire, quia jus resiliendi absolutum jam ei quæsitum est; hac ergo voluntate posita ob fornicationem ipsius postmodum supervenientem nequit ampliùs obligari ad sponsalia, utpote quæ jam soluta sunt, & extincta obligatio standi promissis per jus jam quæsitum, quod per fornicationem sponsæ subsequentem non tollitur, nec extincta obligatio standi sponsalibus reviviscit. Idem vicissim dic, si sponsæ fornicatio præcessit, & sponsus ab obligatione sponsalium jam recessit.

3. Quia quando uterque sponsus in executione sponsalium culpabilis est, utriusque sponso permissum est resiliire, nec unius delictum alterius delicto compensatur, ut habet communis sententia cum *Sanch. D. 53. n. 6.* Ergo etiam non compensantur delicta in causa fornicationis, sed uterque sponsus à sponsalibus resiliire potest, quando uterque fornicatus est. Unde

Ad argumentum pro secunda sententia in contrarium adductum R. illud nimium probare; probaret enim quòd neque in casu adulterii detur compensatio, quando uterque adulterium commisit, cum adulterium uxoris longè turpius sit, quàm adulterium mariti; quemadmodum ergo in adulterio non consideratur major scæditas, sed fides viola-

violata, ita & in sponsalibus spectari debet ratio præcipua, scilicet fides violata, ob quam licentia refiliendi concessa est. In citr. C. Raynutius attenditur major turpitudodeliçti, ut expressè ibi insinuat; in sponsalibus verò ad refiliendum spectatur suspecta fides, quæ meritò suspecta manet, etsi uterque fornicatus sit.

CASUS LXXIV.

De matrimonio sub conditione servandæ castitatis contracto ab habente votum simplex castitatis perpetua.

PATRONILLA Virgo ab Anselmo viduo interrogata, an non vellet sibi nubere? Respondet, se non posse. Anselmus suspicatus, quod res erat, subjungit, nonne voto castitatis obstricta es? affirmat illa, tunc Anselmus, si hoc est, inquit, ne sis de hoc sollicita, ego à te nunquam debitum petam, vivemus in perpetua continentia, poterisque etiam in matrimonio illæsam servare castitatem; quo audito Patronilla sub ea conditione consentit, & condicit in matrimonium, quod paulò post coram Parocho contrahunt in facie Ecclesiæ. Patronilla postea scrupulis agitata quæsit ex Confessario.

QUÆR. I. Quid ipse de valore talis matrimonii sentiret?

QUÆR. IV. An liceat sibi marito cohabitare, anue in lecto separato cubare debeat?

QUÆR. III. An valeat matrimonium contractum sub conditione, ut conjux nunquam debitum exigat?

419 AD I. Q. valere tale matrimonium, respondent Palud in 4. dist. 30. q. 2. 4. 1. Pont. l. 3. c. 11. n. 5. Rebell. l. 2. de oblig. just. q. 10. sect. 2. Abulens. in c. 30. n. q. 32. Bosco de matr. D. 11. S. 8. concl. 9.